



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi sancti Bertini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ut videlicet de injuria sibi ab Episcopo irrogata cognoscat, Metropolitanus ipse ad cognoscendum de causa potest interponere partes suas, cum ille appellationis prosecutioni renuntiare tacite videatur. Sed si verbo vel facto appellationem se velle prosequi protestetur, sicut in proposito casu superius est expressum, non est tamquam adversa petens & sibi contrarius audiendus. Datum Romae apud sanctum Petrum 11. Idus Decembris anno decimo.

ABBATI ET CONVENTUI sancti Bertini.

I Vltis petentium &c. usque precibus anuentes, concessionem quam bo. me. Balduinus Comes Flandrensis super molendinis sancti Bertini monasterio vestro fecit, sicut sine juris praedicio alieni facta est, & in ipsius instrumento noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam idem scriptum huic paginae nostrae de verbo ad verbum duximus inferendum.

Ego Balduinus Flandrensis & Hanonia Comes notum esse volo praesentibus & futuris quod cum quorundam consilio infra castrum sancti Audomari prope monasterium sancti Bertini molendina construere proposuissem, quae, sicut mihi suggestum fuerat, sine alicujus damno vel injuria me facere posse putabam, accessit ad me Abbas sancti Bertini, ostendens mihi privilegium Roberti junioris Flandriae Comitum, in quo continebatur quod inter Archas & Brobore & Lodie nulli nisi Ecclesiae sancti Bertini molendina construere liceret; & hoc Dominus Calixtus Papa privilegio quod mihi ostensum est confirmabat, & ne aliquis contra hoc venire praesumeret sub interminatione anathematis districte praecipiebat. Quia igitur pro salute animae meae iter Ierosolymitan. arripueram, & justitiam potius omnibus quam injuriam alicui facere in proposito & voluntate habebam, scripto quod super hac re fratres de Claromarisco a me impetrasse dicebantur, ne aliqua in posterum Ecclesiae sancti Bertini per hoc injuria irrogari possit, per praesens scriptum derogandum esse censeo, & privilegium praedicti Roberti praedecessoris mei, ut fratres Ecclesiae sancti Bertini pro me & uxore mea semper orare debeant, praesentium auctoritate reconfirmo. Actum anno Domini M. CC. I. I. VIII. Idus Aprilis. Nulli ergo &c. nostrae confirmatio-

nis &c. Si quis autem &c. Datum Romae apud sanctum Petrum 11. Kalend. Decemb. anno decimo.

ELECTO MORINENSI, ET Praeposito Vvattensis, & Decano sancti Audomari Morinensis dioecesis.

EX parte dilectorum filiorum sancti Bertini & Claromarisci Abbatum & conventuum nostro fuit apostolatu supplicatum ut quendam compositionem super quodam marisco & querelis in litteris compromissionis expressis inter eos initam & certa poena firmatam apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, per censuram ecclesiasticam faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, reducentes in statum debitum quicquid praeter formam compromissionis praescriptae inveneritis illicitè attentatum. Nullis litteris veritati &c. Quod si non omnes &c. tu, fili electe, cum eorum altero &c. Datum Romae apud sanctum Petrum Idibus Decembris anno decimo.

Epist. 167. Confirmatur concordia inita inter monasteria sancti Bertini & de Claromarisco.

PRIORI ET CONVENTUI Danelmensi.

Sacro sancta Romana Ecclesia, quae omnibus se favorem exhibet & benignam, in iis quae a rationis tramite non discordant illos consuevit suae defensionis clypeo specialiter communire in quos perverforum calumnia noscitur debachari. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, Archiepiscopi & Episcopi in quorum diocesis possessiones habetis, in vos, Ecclesias, & homines vestros interdum excommunicationis & interdicti sententias proferant pro suae arbitrio voluntatis, nos tranquillitati vestrae volentes paterna sollicitudine praecavere, auctoritate praesentium inhibemus ne aliquis Archiepiscopus vel Episcopus in vos vel Ecclesias vestras sine manifesta & rationabili causa excommunicationis aut interdicti sententias promulgare praesumat. Nulli ergo &c. nostrae inhibitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

Epist. 168. Conceduntur eis privilegia.

DECANO BELNENSI.

TVa nos duxit discretio consulendos, si quis alicui Ecclesiae de bonis suis quaedam obtulerit petens ut in vita sua

Epist. 169. Simoniam committit qui bona sua legat

167. bellario. ad fidem. licam. sollicito. De 47.

168. De iudicia. non privilegiam.